

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

He . 21.

6

PALÆSTRA QVINTA
THEOREMA-
TUM POLITICORUM,

De
Acquisitione Felicitatis
Civilis,

Qvam,

Divinâ favente Gratiâ,

Permissu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,
disputabunt,

PRÆSES

JOHANNES GEORGIUS à Gōben/

Nobil. Prusus & Philosoph. D.,

Et

RESPONDENS

BALTHASAR Kōlner/

Reg. Pruss.

Ad d. Aprilis, locô horisq; consuetis

Anno 1673.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI


PALASTRA QUINTA
THEORIAM
TUM POLITICORUM
De
Acquisitione Felicitatis
Civilis
Divinae Felicitatis
Feliciter Amplius Facultatis Philosophicae
S. S. P. P.
JOHANNES GEORGII A GÖTTINGEN
Nob. Præs. & Philoſoph. D.
BALTHASAR
Add. ...
1772

REGIOMONTI
THEO. REIDERER REISSNER



Bonó cūm DEO!

I.


 Uoniam, quid summum bonum Practicum sit, superiori finivimus Palæstrâ: mentem jam manumque dirigamus necesse est ad indigendum, quibus illud comparetur. In activis enim magis consideranda sunt, ea, quibus ad agendum componimur, quàm in quibus consistant, quæ sub actionem cadunt: quò & Philosophus respicit, qui docet, *in virtutis consideratione, non tam quid sit, quàm è quibus petatur, cognoscendum esse.* lib. 1. Eud. cap. 5. Quippe, *si acquiri vel disciplinâ, vel a sœtutine, vel exercitatione potest, insudandumque nobis est, ac studendum, ut ad id, quod sumus, bene etiam esse valeamus,* ut docet Eustratius comment. in lib. 1. Eth. cap. 9. Non verò eadem omnium de eo fuit sententia, quæ Summi Boni Practici causa sit. Dum alii Summum Bonum Practicum dixerunt virtutem, alii *εὐτυχίαν*, alii aliud quid, in varias de ratione comparandi Summi Boni Practici iverunt sententias. Illi disciplinam aut consuetudinem, aut exercitationem, prout quisq; virtutem aut disciplinâ, aut consuetudine, aut exercitatione comparari aptam ducebat: hi aut in Deorum benivolentiâ, aut in fortunâ, posita esse omnia stantuebant. Quibus rectè disceptandis, quot modis res comparantur, præmittendum est. Res comparantur vel doctrinâ, vel consuetudine, vel exercitatione, vel Dei munere, vel fortunâ. Quædam enim sunt, quæ homines doctrinâ seu discendo comparant, qualia sunt scientiæ: quædam, quæ consuetudine, ut virtutes & quæ actione cernuntur: quædam, quæ exercitatione, ut agilitas quædam corporis, aut robur, aut in animò memoriæ

A 2

vis:

vis: quædam sunt, quæ homines Diis, accepta ferunt, ut pulchritudinem, nobilitatem, & εὐφροσύνην: quædam fortunæ, ut si quis agrum fodiens, thesaurum reperiat. Probè autem hoc locò animadvertenda est vocum vis, ne, errore ducti, consuetudinē & exercitationem idem esse judicemus. Non enim exiguò intervallò adinvicem distant consuetudo & exercitatio. In consuetudine læpiùs idem fit, ut idē, si antè invitè susciperetur, fiat libentiùs; at in exercitatione, usq; ad certū modum paulatim aliquid adsiduè evehitur atq; effertur. Quod ipsum exemplis declarari juvat, sic consuetudinis est, senas cibi uncias capere, neq; iis plus, neq; minus, ut adsuefactus neq; plus neq; minùs cibi sumere gestiret, sed sex uncias. In hâc de consuetudine sententiam pronasunt, quæ Ciberò dicit lib. 3. Tuscul. Quæst. n. 40. *Aniculae sepe in ediam biduum ac triduum ferunt; sed subduc cibum unum diem athleta, Jovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit ferre non posse, clamabit. Consuetudinis magna vis est. Pernoctant (scil. consuetudinē) venatores in nive, in montibus se uri patiuntur: inde nudi pugiles, cestibus contusi, ne ingemiscunt quidem.* Exercitationis verò fuit, quòd, cum Milo Crotoniates vitulum quotidie humeris gestavit, subinde gestando se ita confirmaret, ut tandem taurum gestare posset. Exercere se dicitur, si quis hodie viginti versûs ediscat, & sibi cras imperet, ut ediscat viginti quinque, perendie, ut triginta, & sic deinceps, ut paulatim ad quingentos, aut eo ampliùs, perveniat. In exercitatione aliquid in majus procedere, agnoscit quoque Xenophon lib. 1. memorabil. n. m. 730. p. 88. juxta editionem JOHANNIS LEUNCLAVII, dicendo: *an nescis eos, qui à naturâ sunt corporibus maximè imbecillis præditi, postea quàm se exercuerint, in iis, ad quæ se exercuerint, robustissimos quosque, qui exercitationes neglexerint, superare.* Tertiò. Porro consuetudo esse potest

potest sine ullo conatu, ut consuetudo vescendi quotidie lautis
 cibis aut à prandio dormiendi, at exercitationi semper cona-
 tus aliquis adjunctus est. Quanquam non raro hæ binæ vo-
 ces apud Oratores, tanquam idem significantes permutantur.
 Cornificius lib. 1. Rhetoric. ad C. Herennium alteram vocem
 per alteram explicat, dicens: *Exercitatio* (videlicet dicendi)
est assiduus usus, consuetudoq; dicendi. Sic quoq; alibi auctor ille
 librorum ad Herennium, in eodem significato nunc ponit vo-
 cem exercitationis, nunc consuetudinis, ita enim ipse: *Nam,*
putamus oportere eos, qui velint res faciliores sine labore & mole-
stiâ facile meminisse, in rebus difficilioribus esse antè exercitados. Nec
 nos hanc verborum memoriam inducimus, ut versus meminisse pos-
 simus, sed ut hæc exercitatione illa rerum memoria, quæ pertinet ad
 utilitatem, confirmetur: ut ab hæc difficili,) jam adhibet vocem
 consuetudinis, cum antea vocem exercitationis adhibuerit) *con-*
suetudine sine labore ad illam facilitatem transire possimus. lib. 3.
 ad Herenn. n. 39.

2. Merito igitur disquiritur, quâ ratione beatitudo civi-
 lis parari queat. Obvium est, esse, vivere, & operari, Dei mu-
 nere data esse, ultimo enim à Deo sunt. Quod secundo suo
 Poetæ firmant consensu, quos inter est Aratus, qui in phœ-
 nomenis sic canit:

Fruimur Jove, & utimur omnes,

Nos genus illius sumus.

Et Virgilius lib. 6. Æneid.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magnò se corpore miscet.

Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantium

In hanc rem Ovidius quoque lib. 6. Fastor. sic canit:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

A 3

Quod-

Quod si esse simpliciter, à Deo datum est, quanto magis bene esse eidem Originem debet: nam bene esse est melius *τὸ* esse simpliciter; nihil autem, quod melius est eò, quod à Deo etiam provenit, potest ab alio, quàm ab eodem Deo esse. Quò digitum intendit Eustratius, qui comment. in lib. 1. Eth. cap. 9. esse, ait, vivere, & operari, à Deo est hominibus elargitum: ut bene autem omnia hæc fiant, ex quâ aliâ causâ, quàm à Deo proveniet? quippe cum bene esse, quàm esse absolutè longè melius sit, sitque id, cujus causâ reliqua efficiuntur. Nam si bene esse, cum sit melius, quàm absolutè esse, non divinitus datur, aliqua alia supra Deum causa erit invenienda, ex quâ, quod melius est, exhibeatur. Imò omnia bona Deo accepta ferre debemus: quod & Cicero agnoscit, dicens: *innumerabilia parentibus, omnia Diis immortalibus debemus.* Post redit: ad Senat. Igitur multò magis Deo beatitudinem practicam debebimus, ut quæ inter omnia bona optimum. Similiter arguit Aristoteles, qui sic: *Et verò si quod aliud à Diis munus est hominibus datum, profectò consentaneum est, beatitudinem quoque à Diis immortalibus donari, eoque maximè, quò rerum humanarum est optima.* lib. 1. Eth. cap. 10. (aliàs 9.)

3. Noscendum quoque, non omnia eodem modo divinitus dari, sed quædam divinitus ita dantur, ut ad ea nihil à nobis conferatur, ut forma, nobilitas, *εὐφροσύνη*, i. e. bonitas naturæ: quædam sunt ita à Deo, ut ad ea quoque de nostrò aliquid conferamus: quò pertinent omnia illa bona, quæ industriâ humanâ comparantur, ut scientiæ, artes. &c. Quibus germana habet Eustrat. *Nam ex iis, inquit, quæ à Deo hominibus exhibentur, alia absolutè à Deo, nobis nil efficientibus proveniunt, alia laborem nostrum & electionem requirunt. Cujusmodi sunt, quæ in nostrâ potestate sita esse dicuntur bona. Ad quæ consequenda, cum nos diligentiam*
omnem

omnem ac studium impenderit, prosper à Deò successus requiritur. Comment. in lib. Eth. 1. c. 1. §. 4. Unde eò respiciens, quidam Græcus Poeta dixit:

Πωλῶσιν ἡμῖν πάντα τὰγαθὰ οἱ Θεοὶ

Labore Divi quælibet vendunt bona:

Beatitudo civilis non est ex eo genere bonorum, quæ à Deò, nulla nostrâ securrente operâ, dantur; sed ex eo genere bonorum, quorum nos quoque sumus συνεργοὶ cooperatores. Nam & datur à Deò, & tamen non datur otiosis, ac nihil agentibus; sed iis, qui adhibitis à parte suâ debitis mediis, seipso ad omnem virtutem atque honestatem colendam studiosè comparârunt. Quod nec dissimulat Eustrat. dicendo: *Non absolutè à Deò hominibus mittitur felicitas, sed aliquid aliud ex his, quæ commemoravimus, ad ipsam consequendam adjuvat, ut virtus disciplina & exercitatio.* Comment in lib. 1. Eth. c. 9. Dices, hæc majoris indaginis sunt, quàm quæ hõc locò considerentur, pertinebunt ea ad præstantiorem aliquam scientiam, nempe ad Theologiam naturalem, seu Philosophiam primam. Verùm, quæ de Deò in Philosophiâ primâ considerantur, illa sub ratione hæc considerantur, ut Deus, seu ens quatenus ens, primus motor rectè cognoscatur; sed bona à Deò data sub hõc modò considerandi hõc expediuntur, ut & quâ ratione per nos Summum Bonum Humanum acquiratur, & quod sit bonum divinum, eò meliùs intelligatur. Non verò absurdum est, unum idemque diversò considerandi modò, in diversis scientiis tractari, verb. grat. domus seu domestica societas, una eademque res, tractatur & in Politicâ, & in Oeconomicâ; Verùm diversò considerandi modò, in Politicâ sub modò civitatis considerandæ, scilicet, ut quid civitas sit, eò magis enotescat; in Oeconomicâ verò, sub modò considerandæ domesticæ beatitudinis, ut quid ea sit, &

in

in quâ societate comparanda. Neq; hanc nostram sententiam tenemus, invitò Philosopho, utut dicat: *sed hoc* (nempe à Deò data considerare) *fortasse alterius considerationis proprium*. lib. I. Eth. c. 10. (aliàs 9) Philosophus enim ipse dictò locò munera à Deò data considerat, idque etiam sub hòc considerandi modò, ut indigaret quomodo Summum Bonum Humanum comparetur: præmisit enim quæstionem, quâ ratione illud comparetur: Deinde patescit Summum Bonum esse divinum bonum, hinc statim additur: *illud quidem perspicuum est, etiamsi beatitudo non sit à Diis immortalibus dono missa; sed virtute & doctrinâ aliquâ, aut exercitatione aliqua pariatur, in rebus divinissimis esse numerandam*. Hanc reddit rationem: *Virtutis enim premium ac finis, optima quedam res esse, & divina, & beata videtur* lib. I. Eth. c. 10. Quod autem Philosophus dicat, *esse alienæ considerationis proprium*, id eò fit, ut illud hòc locò non curatiùs ac subtiliùs tractandũ esse, indicaret, quia id considerare, alienæ scientiæ magis proprium: non enim in Græcò constat, *ὀικεῖον* proprium, sed *ὀικεσὶόντων* scientiæ magis proprium, & majori curæ sit, idem considerare.

4. Neque ad consequendam felicitatem Practicam deesse debet naturæ bonitas, talis natura, quæ ab omni vitio integra sit. Sæpe enim natura hominis vitium patitur, ut inepta fiat ad actiones bonas: quando corpus hominis aliquo vitio laborat, tum vitiosus corporis habitus habitum mentis adficit, ut ex corporis contagione operatio animæ impediatur. Idem non obscure indicat Eustratius, qui eos ad actiones virtutis tantum aptos reputat, *qui ex aliquo materia casu lesam mentem non habent, ut ex corporis contagione animæ quoque operatio impediatur*. Comment. in lib. I. Eth. cap. 9. §. 6. Inepti sunt homines ad actiones virtutis, quando vel planè mentè dejecti sunt,
aut

aut cœci, aut surdi, aut alio aliquo ejus generis vitiò adfecti. Quod nec ab Aristotele alienum est, ut qui non solùm lib. 1. Ethic. c. 10. (aliàs 9.) sed & lib. 7. Pol. c. 1. ad actiones bonitatem naturæ requirens, dicit: *esse nonnullos, tam perversâ naturâ natos, ut prorsus sint deplorati, & ad omnes actiones bonas inepti.* Et lib. 1. m. m. ait: *Etiam si in nobis situm sit, probos esse vel improbos, non tamen continuè sequi, quod optimi omnium ex nobis esse ipsis queamus. Ad excellentiam probitatis summum ac præstans ingenium requiritur, quod minimè nos ipsi, sed natura nobis concedit.* Quod etiam in corpore fieri cernimus. Ut ut, dum corpus sedulæ habemus curæ, sanitatem tam præsentem conservare, quàm amissam recuperare sæpe valeamus, non tamen id nostræ potestatis est, ut omnium optimè valeamus, nisi optimum corporis temperamentum nobis à naturâ obvenit. Quare & Cicero dixit: *tardis mentibus haud facillè virtutem committi.* lib. 5. Tuscul. Quæstion. Jam verò naturæ opera sunt opera intelligentiæ supremæ, quæ est ipse Deus.

5. Neque naturæ bonitas in solidum efficit Summum bonum, nisi eidem succurrat bona educatio, seu ad bonum consuetudo: neque enim, ut supra diximus, felicitas civilis est ex genere eorum, quæ nobis divinitus, sine sociâ laboris nostri curâ, obveniunt. Consue fieri autem debet ad bonum, non solùm anima, sed & corpus. Et quia industria humana ad obtinendum aliquod bonum naturam imitari debeat, quod post Aristotelem lib. 2. Phys. passim & alibi, & Cicero non solùm dicendi sed & intelligendi magister intendit, dum libro, quem inscribit Oratorem, de suavitate vocis ita disserit: *Illud etiam notandum mihi videtur ad studium prosequendæ suavitatis in vocibus: ipsa enim natura quasi modulatur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem: paucis omissis addit: quò*
 B magis

magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria.
 Jam cum corpus prius existat, dum homo gignitur, quàm animus: utique etiam primò corpus nobis curæ esse debet, postea animus. Et quia animus rursus in duas tribuitur partes, nempe in rationem & appetitum, & natura prius appetitum exerit, quàm rationem, quæ paulò ante adduximus, repetimus, scilicet appetitum primùm in curis nostris esse debere, & deinde rationem. Quorum verò cura eò directà esse debet, ut laudabili consuetudine ad virtutem & honestatem formentur. Homo ad virtutes & vitia indifferens est, vel enim se ad virtutis laudem efferre potest, vel deprimere ad vitiorum servitium. Ut autem homo ex virtutibus, non ex vitiis vivat, id acceptum ferre debet cōsuetudini, quæ naturæ instar habet. Quod respiciens Plato, dixit: *consuetudinem maximum quoddam esse.* In hanc rem idem ferè dicit Ovidius de arte amandi: *nihil ad consuetudine majus.* Quod nec dissimulat Virgilius 2. Georg.

Adeò à teneris adsuescere multum est.

Nec Cicero de lege agrariâ: *Non ingenerantur, inquit, hominibus mores, tam à stirpe generis & seminis, quàm ex iis rebus, quæ ab ipsâ naturâ, locis & à vitæ consuetudine suppeditantur.* Et in Læliò ita disserit: *Maxima est vis vetustatis & consuetudinis, non modò in hoc, quod est animal; sed in iis etiam, quæ sunt in animâ, consuetudo valet, cum locis etiam ipsis montosis delectemur & Sylvestribus in quibus, diutiùs commorati sumus.* Tantùm in consuetudine positum judicat Seneca, ut dicat: *consuetudinem omni lege valentiorē esse.* 1. 5. de Benefic. cap. 21. p. m. 475. Quò mentem quoque suam dirigit Philo Judæus, dum libro de vitâ viri civilis, sive de Joseph. p. m. 346. ita disserit: *Sicut bene compacta corpora exercitatione confirmantur, & acquirunt robustam invictamque habitudinem: sic ferox & immitis natura occupata sui*
simi-

similibus studiis, duplò fit durior, in accessu misericordie, qui unus adfectus bonus ac humanus est. Et quemadmodum, qui cum bonis viris habent familiaritatem, ex jucundissimo eorum convictu in melius proficiunt moribus; sic etiam, qui cum malis conversantur, adfrieant sibi eorum vitia, Facile enim consuetudo abit in naturæ similitudinem.

6. Neque fortuna efficientiam Summi Boni in se continet, ut quæ longè inferior est, quàm quæ sit causa beatitudinis civilis. Nam ea est inter bona optima, nec habet se melius. Jam autem bonum studio acquisitum melius est, quàm bonum fortunâ: igitur rationi conforme est, beatitudinem non fortunâ, sed studio acquiri. Quippe *prestantissima*, ut ex Aristot: Muretus Comment. in lib. I. Eth. cap. 9. rectè arguit, *quæcunque efficiuntur à prestantissimis causis, ejusmodi sunt natura & ars & similes.* At fortuna omnium causarum abjectissima est, neque nomen causæ sibi propriè vendicat, ut quæ per accidens tantùm causa est. lib. 2. Physic. cap. 5. Deinde, ut suprâ definivimus, beatitudo civilis est actio virtutis; at verò actio habitûs, qualis est actio virtutis, non est à fortunâ, sed ab habitu, qui industriâ comparatur. Neque tamen omninò bona fortunæ procul habenda sunt à beatitudine, id quod antè jam expedivimus: quia, quum in vitæ hujus scenâ fortuna eveniat varia, qui juvenis fortunâ ad omnem honestatem usus sit secundâ, tandem senex adversâ conflictari possit. *Multa mutationes, inquit Philosophus, & varia fortunæ in vitâ contingunt: & fieri potest, ut qui maximè prosperitate floruerit, is in senectute in magnas calamitates incidat.* I. I. Eth. cap. 10. (aliàs 9.) Quibus Plautus

consentit, dicendo: *Fortuna humana fingit, arctatque, ut lubet: me, qui liber fueram, servum fecit, è summò infimum: qui imperare insueveram, nunc alterius imperiò obsequor.* Eadem sunt, quæ habet Cicero pro Milone: varia est vitæ, commutabilisque ratio, vaga volubilisque fortuna. Hinc Theophrastus dicere non dubitavit: *quòd vita fortunâ regatur.* Et Cicero pro M. Marcello, *quòd fortuna sit rerum omnium domina.* Polycrates, Samiorum Rex, tantâ felicitate floruit, ut ne minimam unquam ex ullâ re sensisse crederetur molestiam, sed in ipso senectutis limine in crucem fuit adactus, ut memorat post Herodotum lib. 3. & Plinium l. 37. Natural. histor. cap. 1. Itæm Strabon. l. 14. Geograph., Cicero lib. 1. de finibus, & alii. D. onysius quoque filius Syracusar: in Sicilia tyrannus, *erat maximarum opum Dominus, exercituum Dux, Rector classium, equitatum potens, propter inopiam tandem in exilium abire ob conjurationem in eum factam, atque literas puerulos Corinthi docere coactus fuit:* ut narrat Cicero l. 3. Tuscul. Quæstionum, & Plutarchus in Dione. In ejusdem fortunæ æquilibriò fuit Syphax, Numidarum Rex, qui eò claritatis fuit evectus, ut validissimorum populorum tantùm non arbiter victoriæ existeret, parvi temporis morâ interjectâ, à Lœliò captus, ad Scipionem catenatus, atque ab eo, devictis Carthaginensibus, postea in triumphum ductus fuit. Unde Juvenalis Satyrâ 6.

*Tolle tuum, precor, Annibalem, victumque Syphacem
In castris, & cum totâ Carthagine nigrâ.*

Quantus fuit Perseus, Macedonum Rex, quàm locuples & potens! Is longò tempore restitit Romanis, Ducesque eorum consulares & exercitûs, classesque contrivit: vicinis propter

pter opes & potentiam spectabilis; Romanis autem propter
 foedus & amicitiam cum Barbaris formidabilis visus. Sed in
 tam altô potentia & felicitatis gradu præcipitium tulit, à Paul ô
 Æmiliô præliô victus, regnô & libertate excutiebatur, & Ro-
 mam in triumphum adducebatur, ante currum victoris Ducis
 catenis cum summâ ignominia trahebatur, & post trium-
 phum in tetrum carcerem conjiciebatur, in quo, mœrore a-
 nimi adfectus, obiit. Videatur Livius decad: 5. lib. 4. ut &
 Plutarchus in Æmiliô. Eandem fortunam suo renovavit
 exemplô Vandalorum Rex ultimus, qui opibus & potentia
 clarus, regnum longè latèque patens, in Africa à majoribus
 acceptum, cum magnâ superbia & luxu administravit; sed à
 Belisariô, Justiniani Imperatoris duce, belli viribus victus, post
 varias acceptas clades captus, atque ad triumphum Byzan-
 tium ductus fuit, teste Procopiô de rebus gestis Gothorum.
 Carolus Crassus Francorum Rex, & Romanorum Imperator,
 cum aliquamdiu non infeliciter regnâisset, tandem fortuna vi-
 trea se convertisset, & quòd non satis fortiter Normannis, qui
 Gallia oram graviter adfluxerant, restitisset, sed locum ad ha-
 bitandum alicubi, in ita cum iis pace, dedisset: omnium Ordi-
 num consensu regno dejectus fuit, atque Regiâ dignitate
 exutus, eò miseria & infelicitatis devenit, ut, unde familiam
 aleret, non haberet, & ab eo, qui ei succedebat, stipendia ad
 sustentandam vitam petere cogeretur: ut testatur Paulus Æ-
 milius lib. 3. & Otto Frisingensis in Chronicô. Qui tantâ
 fortunæ adversitate colluctantur, nemo dicit beatos. *Eum,*
qui adversis fortunis usus, miserabiliterque mortuus fuerit, felicem
profectò dicet nemo. lib. 1. Eth. c. 10. (aliàs 9.) Requiritur
 itaque omninò ad felicitatem civilem prosperitas fortunæ;

est non ita, quasi in eâ, ipsa ratio beatitudinis posita esset, sed per modum adminiculi cujuscumque, seu instrumenti: Id quod ex superioribus patescere potuit. Adjudicanda autem fortuna secunda non casui est, sed providentiæ Divinæ; quam auctor magnorum moralium lib.2. cap.8. hic dubius hæret, num prosperitas fortunæ sit omninò Divinæ providentiæ adscribenda, quia homines improbi ac sceleratissimi sæpe fortunæ bonis abundant, probi autem fortunæ subjaceant adversæ. Ex quo ille veritus est, ne, si prosperitatem fortunæ ad providentiam referret divinam, injustitiæ quodammodo Deus accusaretur. Proinde satius esse putavit, si fortuna dicatur esse concursus rerum quarundam, quæ nullum inter se ordinem & nexum habeant, nobisque præter consilium & institutum nostrum obveniant. Verùm rem aliter habere, non solum cognoverunt, qui sacris docti sunt, sed & gentiles, tam Poëtæ, quàm Philosophi. Veluti Homerus Iliad.10. vers.527. ita incipiens:

*Duo namq; dolia posita sunt in Jovis limine,
Donorum, cujusmodi dat, malorum unum,
alterum commodorum.*


ADDITAMENTUM
De utilitate Philosophiæ in Juris
Prudentiâ.

Non mihi persuadere possum, hominem, nullis Philosophiæ præceptis instructum, ad studium Juris prorsus sufficere. Nam omnis cognitio fit secundum speciem.

Secun-

Secundum speciem omnia cognoscimus l. 4. Met. c. 5. Quibus se-
quoque attemperare studet Plotinus i. Ennead. l. 8. c. 1. dicen-
do: *cognitionem rerum in nobis progigni δι' ὁμοιότητος & per simili-
tudinem.* Cognitionis autem secundum speciem fit bifariā, primò
secundum speciem ejus, quod rei accidit, seu secundum
speciem endoxorum, ex quibus colligit dialecticus, ad conci-
piendā opinionem. Secundò secundū speciem ejus, quod per
se rei inest: seu secundum speciem, quam res ipsa, quæ cogno-
scitur, in facultate cognoscente veluti depingit. Cognitionis se-
cundum hanc speciem duplex est, vel *immediata*, qualis est co-
gnitio principiorum & causarum, id genus cognitio est intelli-
gentia: vel *mediata*, qualis cognitio est adfectionum propria-
rum, quæ innotescunt partim ex causis & principiis propriis,
partim ex effectis, talis cognitio dicitur scientia l. 6. Eth. c. 3 & 6.
& c. Quò respicit Philos. dicens: Quædam per se cognoscun-
tur, quædam per aliud: illa sunt principia, hæc sunt sub prin-
cipiis l. 2. prior. c. 16. §. 2. Nullo modo jus cognosci potest, nisi
succurrente philosophiā: non per speciem endoxorum, nam
ea sunt loci dialectici, qui unicè ex Dialecticā, ut quæ Philoso-
phiæ species, petuntur. Neque secundum speciem ejus, quod
per se rei inest, nam sic cognosceretur, vel ut intelligentia; at ta-
lis non est cognitio juris, nam intelligentia est habitus primo-
rum principiorum, quæ considerat unicè Philosophia prima:
vel ut scientia, & sic sine analyticā, quæ rursus Philosophiæ spe-
cies, percipi non potest, quippe analytica docet modum, scien-
tiam in animo discentis generandi. Quod si jus prædictis mo-
dis sine Philosophiā cognosci nequeat, tum nullo alio cogno-
sci poterit modo, quia præter hos non datur alius cognoscen-
di modus. Secundò. Nemo jus capere potest, nisi animo
præ-

præceperit fundamenta juris: nihil enim sine suo intelligi potest fundamento: nemo facultatem rectè loquendi, sive Latine sive Græcè &c. poterit, nisi ejus fundamenta præcognoverit. Juris fundamentum præcipuum est honestè vivere, ut ipse Imperator Justinianus docet. Jam verò honestè vivere nihil aliud est, quàm secundum virtutes vivere, hinc Cicero, *honestum dicit, omnes in se continere virtutes.* l. i. de Offic. Comuni verò consensu certum est, qui instar firmissimi habet argumenti, ut docet Philosophus lib. i. Eudem. c. 6. virtutes in primâ parte Politices, quæ vulgò Ethica dicitur, tradi. Quò respicit tritum illud proverbium: *ut Medicus incipit, ubi desinit Physicus: ita incipit Juris Consultus, ubi desinit Politicus.* Sumamus exemplum ex Jure, & ex eo patefcet, illud, si rectè procedamus, ex Philosophiâ incipere. Sit verò illud: *an debitum liquidum cum illiquido possit compensari?* Respondeo quòd non: Hoc si ostendere velimus, necesse est illud ex Politicis producamus: Hanc justitiæ rationem esse, ut æquale, tam numero quàm dignitate, equali referatur, quippe non disparibus, sed paribus existit proportio, secundū quam justitia exigenda, ut docet Philosophus l. 5. Polit. c. 1. Jam verò debitum liquidum & illiquidum non sunt æqualia, sed inæqualia: quippe debitum liquidum est debitum certum, quod extra aleam exceptionis positum est; sed debitum illiquidum est debitum incertum, dubium; at debitum certum & dubium sunt disparia. Adeoque liquidum cum illiquido non potest compensari. Plura imperiosæ brevitas studio prætermitto.




Lp 329
8

1000

200







QVINTA
REMA-
TICORUM,

e
e Felicitatis
lis,

nte Gratiâ,
acultatis Philosophicæ,
unt ,
SES

RGIVS à Göttingen/
Philosoph. D.,

DENS
R Kôlner/
ruff.

ocô horisq; consuetis
1673.

ONTI,
CI REUSNERI

